

- 1277 ritimæ illius oræ accolas Venetorum studiosissimi per id tempus habebantur , ab imperio defecerunt . Ad eos in fidem retrahendos Andreas Basejus cum ingentibus copiis mittitur . Illi vero , ubi terra marique omnia Venetis armis circumstrepere cœperunt , ad Aquilejæ Antistitem in Carnos mittunt : orant ut pro mutua amicitia finitimæ civitati ferret opem , arma compararet , Venetum minaciter imminentem a sua cervice depelleret . Motus ille his precibus tumultuarium militem conscribit , conscriptum Tergestinis ferre opem jubet . Freti his auxiliis Histri Venetum ab obsidione multis conatus student avertere ; sed parum illis aut suæ aut externæ opes profuere : vieti bello in fidem coacti sunt redire . Rainerius Maurocenus ad eos in fide continendos in provinciam est missus . Defunctus Histrico bello Venetus Anconitanum bellum proxime exceptit , ac nescio an hoc quoque sit cœptum , antequam illud depositum : ita omnia in annalibus , quos sequimur , perplexa hoc loco traduntur , ut quid potissimum affirmem non habeam . Cæterum paucissimi quidem Anconitani hujus belli mentionem fecere : ii vero in quibus id relatum invenio , tradunt Anconem a Venetis , Joanne vicesimoprimo Pontifice , oppugnari cœpisse : cuius brevis Pontificatus in primum Contareni Ducis annum incidit . Suscepti belli causam fuisse affirmant , legem de portoriis paucis ante annis latam : cuius antiquandæ quum Gregorium Pontificem auctorem facere quæsivissent , effetque tum primum res parum fœliciter mota , multa occulte , ut fraudem legi facerent , & in Histricum sinum , & circa Padi ostia invexerant . Eam rem indigne ferentes Veneti (constabat enim sua patientia Anconitanos in dies insolentiores fieri) sex & viginti triremes expedient .
- 1276 Additæ onerariæ quædam ad commeatus , machinas , aliaque ad urbis oppugnationem necessaria devehenda . Sed prius , quam hæc pararentur , crediderim repetitas fuisse ab Anconitanis res , nec redditas . Cœpit Venetus sub ipsum appulsum portum oppugnare : unde repulsus , quum classis nullam circa urbem tutam haberet stationem , nec interim in anchoris staret , fœdissima tempestate arrepta , non mediocriter proximis est littoribus conflictata : sex triremes Senogalliae scopolis